Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

misit me: ut pficiam opus eius. Nonne vos dicitis quod
adhuc quatuor menses sunt. et messis venit. Ecce dico
vobis. Levate oculos vestros. et videte regiones quia al-
be sunt iam ad messem. Et qui metit mercedem accipit.
et congregat fructum in vitam eternam. et qui seminat simul
gaudeat. et qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia al-
ius est qui seminat. et alius est qui metit. Ego misi vos
metere quod vos non laborastis. Alii laborauerunt. et vos
in labores eorum introistis. Ex ciuitate autem illa multi
crediderunt in eum samaritanorum. propter verbum mulieris
testimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia quecumque fe-
cerim. Cum ergo venissent ad illum samaritani. rogauerunt
eum ut apud eos maneret. Et mansit ibi duos dies. Et mul-
to plures crediderunt propter sermones eius. et mulieri
dicebant. Quia iam non propter tuam loquelam credi-
mus. ipsi enim audiuimus. et scimus. quia hic est vere saluator
mundi. sabbato. lectio. Daniel. prophete

Erat vir in babylone. et nomen eius ioachim. Et ac-
cepit uxorem nomine susannam filiam helciae: pulchram
nimis. et timentem deum. Parentes enim illius cum essent
iusti: erudierunt filiam suam secundum legem moysi. Erat
autem ioachim diues valde. et erat ei pomerium vicinum
domui suae. et ad ipsum confluebant iudei eo quod esset ho-
norabilior omni. Et constituti sunt duo senes iudices
in anno illo: de quibus locutus est dominus. Quia egressa est
iniquitas de babylone a senioribus iudicibus: qui videba-
tur regere populum. Isti frequentabant domum ioachim: et
veniebant ad eum omnes qui habebant iudicia. Cum autem
reuisset populus post meridiem. ingrediebatur susanna et